

h. 113, 32.
1797

Yd
1868

AD
MEMORIAM
INCENDII,

Quo
ANNO M CCC LXXXVII,

Die,
QVI DIVO JOHANNI BAPTISTÆ
SACER EST,
TOTUM CONFLAGAVIT
MARTISBURGVM,

ipso
JOHANNIS
Festo,
FINITIS SACRIS POMERIDIANIS,
post horam quartam,

in
Primo Gymnasii Auditorio
piè recolendam,

VENERANDOS EDUCANDÆ JUVEN-
TUTIS INSPECTORES, MAECENA-
TES ATQVE FAUTORES,

officiosè invitat

M. JOH. **Dübner** / RECTOR.

Typis CHRISTIANI GOTTSCHICKII, Typogr.

BIBLIOTHECA
PONIGKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

248

43 2621





Pulverem tormentarium Germanorum inventum esse, post innumeros Auctores, quos allegare piget, etiam *Laonicus Chalcocondylas*, rerum Turciarum scriptor græcus, libro V. pag. 123. edit. Paris. memoriæ prodidit.

Equidem *Johannes Petrus Maffeus* Historiarum Indicarum compilator, lib. VI. p. 146. hujus inventionis gloriam Sinenfibus; *Gasias* autem de *Sylva*, in Breviario Historiæ Hispanicæ, cap. 59. Arabibus vindicare cōnati sunt: Sed *Garsiam* dilucidè confutavit *Cellarius* in thesauro eruditionis scholasticæ; *Maffeam* autem tacere jussit *Besoldus* in tractatu de Bombardis, pag. 6.

Inventorem hujus pulveris pleriqve omnes agnoscunt Monachum Franciscanum, Friburgo, quod Sveviæ oppidum est, oriundum: Sed si nomen ejus requiras, alii Constantium Ancklitzen appellant, videatur *Vossius* Institution, Orator. lib. IV. cap. XIII. §. 7. alii Bertholdum Nigrum vocant, vid. *Aventinus* Annal. Boicor. lib. VII. pag. 491. alii nomen ejus prorsus ignorant, vid. *Polydorus Virgilius* de rerum inventor, lib. II. cap. XI. p. 139.

Ipsam Inventionem prorsus fortuitam fuisse, jam allegatus *Polydorus* asserit, cujus verba hic adscribere haud pigribimur: Ferrus homo ad exitium humanum natus, servasse aliquando domi in mortario pulverem sulphureum, cujusdam medicina faciendæ causâ, illudq; texisse lapide, ac inde contigisse, ut dum ignem ex silice propè excuteret, scintilla intro incidere, subitoq; flamma eruperit, atque lapidem in altum tulerit: Et ille ejus rei casu doctus, po
stea,

Rea, ferreâ factâ fistulâ, & pulvere confecto, machinam reperisse, quæ
vulgo Bombarda dicitur.

Sed Michael Majerus in libello, qui novum inventum inscribitur, cap. 4. p. 91. occasionem inventi pulveris nitrati prescius indagavit. Bertholdum enim, lapidem illum, qui sapientia humanæ reputatur culmen, affectasse, atque sic spiritum hunc non vitæ, sed mortis pulverem reperisse affirmat. Ipsa autoris verba, sed incompendium redacta, sic habent: *Accepit ille Alchymista Sulphur, omnium metallorum patrem: cujus qualitates summè calidas & siccas, ut spiritu aliquo contrario temperaret, omnem pervestigavit naturam, reperiit, tandem, talem esse salem petræ. Utrumq; autem coagulandum esse censuit in terrâ aliquâ fixâ, quod Spiritus sustentaculo destitutus absq; corpore nihil agere valeat: & cum ei persuasum esset, quod Corylus, cum virgulam divinatoriam præbeat, cognationis aliquid cum metallis habeat, virgas columnas igne suffocativo in carbones redegit, atq; sic tandem ex animâ b. e. ex sulphure; ex spiritu i. e. ex nitro; & tandem ex corpore b. e. ex carbonibus, inter se mixtis, pulvis ille tormentarius ultrò emerfit.*

Tempus inventionis admodum incertum est. Venetos primos fuisse, qui Bombardis in bello contra Genuenses a. 1380. ad Fossam Clodiam, quæ hodie Chiozzo dicitur, usi fuerint, Platina in vitâ Urbani VI. pag. 269, autor est; Hinc conjecturæ locus factus est, quasi pulvis sulphureus aut eodem anno, aut tamen non ita multo ante inventus sit.

Sed cum Fabricius orig. Saxon, lib. VI. p. 677. disertis verbis testetur, Saltanos, cum a. 1365. à Friderico strenuo obfiderentur, bombardas habuisse; Cum Paulus Langius in Chronico Citizenfi p. 840. consistorium urbis Lubicensis anno 1360. per negligentiam illorum, qui pulveres pro bombardis conficiebant, combustum fuisse, affirmet; Cum denique Sebastianus Munsterus in Cosmogr. lib. 3. pag. 715. pulveris nitrati usum jam anno 1354. Danis perfectum fuisse amici ejusdam literis certior factus sit: natalem bombardarum, si ita loqui fas est, post initium potius, quam sub finem seculi decimi quarti collocandum esse, existimamus; præsertim cum Platina, & qui eum sequuntur, saltem publicum, non autem arcanum hujus pulveris usum ad a. 1380. alligare videantur.

Verùm, animus non est, minutis hisce circu-
diutius immorari. Consulant harum rerum curiosi *Panciro-
li* res memorabiles cum *Salmusii* commentario; aut *Besoldi*
tractatum de Bombardis; aut *Majeri* verum inventum; aut
saltem, si reliqui ad manus non sint, *Polydorum Virgilium*, de
rerum Inventoribus.

Interim non injucundùm erit, quærere, an de hoc invento
Germani etiam habeant, quod magnopere gloriantur? Sanè inter
æquissimos rerum æstimatores non pauci sunt, qui pulve-
rem nitratum ad stygias paludes relegandum; ejus autem in-
ventorem in malam crucem abigendum fuisse, graviter mo-
nent.

Polydorus Virgilius, cujus jam aliquoties mentionem inje-
cimus libro II. cap. XI. p. 139. dignum judicat mortifera hujus
machina repertorem, qui prior ipse, vice *Salomonei*, Jovem in ful-
minibus jaciendis æmulaturi, fulmine flagrasset, cum ab eo tempore, om-
nis ferme vis peditum, omnis equestris splendor, omnis denique bellica
virtus indecorè consistat, jaceat, obtorpeat.

Idem *Polydorus* lib. III. cap. 18. p. 241. tormentum æneum,
quod bombardam vocant, omni admiratione execrationeque dignum, ad
perniciem hominum excogitatum dicit, negatque se adduci posse, ut
humanum ingenium invenisse credat, cum potius malum quempiam
Demonem mortalibus monstrasse putet, ut inter se non modo armis, sed
etiam fulminibus pugnent.

In eadem sententiâ fuisse *Melanchthonem*, ex *Cassionis Chroni-
co* manifestum est, ubi lib. V. p. 871. ferale hoc tormentorum ge-
nus, Monacho ministro & fabro; Diabolo autem architecto, in generis
humani perniciem inventum esse dicitur. Ut taceam de *Luthero*,
qui cacodæmonem aliquem bombardarum usum mortalibus
revelasse, extra dubitationis aleam posuit.

Fuit etiam nonnemo, cujus mentionem *Besoldus* p. 12. fa-
cit, qui in scripto a. 1608. typis vulgato, bombardas in ipsa *Jo-
hannis Apocalypsi*, & quidem inter tristia de futuris calamita-
tibus vaticinia, prædictas atque graphicè descriptas esse, ar-
bitratus est. Operæ pretium videtur, verba ipsa huc trans-
scribere, sicutamen ut de sensu eorum liberum cuique judicium
relinquamus: Und also sahe ich die Krosse im Gesichte und die
darauff saßen / daß sie hatten feurige und geele/und schwefelichte
Pan-

Banker/u. die Häupter der Koffe wie die Häupter der Löwen/und
aus ihrem Munde ging Feuer/Rauch und Schwefel. Von dies
sen dreyen ward ertödtet das dritte Theil der Menschen/von dem
Feuer und Rauch/und Schwefel/ der aus ihrem Munde ging.
vid. Apocal. cap. IX. v. 17. 18.

Sed audiamus etiam Poetam in Pancirolli commentario
p. 284. allegatum, qui hosce elegantissimos, sed Bertholdo ni-
gro parum honorificos, versus effinxit :

*In pravas, spretâ, quum labe, Numinis ira,
Se mortale genus, laxis immergit habenis,
Armipotens scelerum vindex, justissimus unus,
Ignivomas rutilo nubes fabricatus olympo,
Torfit in indomitas ardentia fulmina terras,
At magis exarsit sceleris vesana libido,
Invisum caelo & terris, è faucibus orci
Verticis abradi monstrum dum excitur, opacis,
Orbis dira lues, nostrig, infamia secli.
Hoc nova namq, novo cuduntur fulmina fabro,
Et stygiâ erumpunt stygio documenta magistro,
Qualia aernalis pandens mysteria templi
Torva Hecate dederat: monstroso inclusa cucullo:
Lurida quum pariter permixto sulphura nitro,
Tisiphone adjunxit flammâq, operâq, ministras.
Flammigeræ hinc retro torquentur fulmine glandes,
Glandiferæq, fremunt horrendo murmure flammæ,
Ut reboent campi, montesque & magnus Olympus.
Mox rapidum latas infert se virus in oras,
Quod quatit (heu furiale malum!) tot fortia bello
Corpora tot retro raptim ulcere pascitur artus,
Crescente ut pena crescat quoque numinis ira.*

Agmen deniq; claudat Autor Chronici Saxonici à Dressero re-
cogniti, qui p. 372. ita in miserum nostrum Bertholdum in-
vehitur: Der Schelm wäre werth gewesen/das man mit ihm/
wie mit Perillo gehandelt/ und die erste Carthause mit ihm ge-
laden/und ihn heraus geschossen hätte. Denn von Anfange der
Welt nichts schädlicher dem menschlichen Geschlechte / denn
dieses verfluchte Instrument erdacht worden ist. Cujus voti
etiam compos factus est bonus ille Saxo, si quidem verum

est, quod Bertholdus hanc solam ob causam; quod bombardas invenerit, jussu Imperatoris Wenceslai a. 1389. vivus exustus est. Videatur *Goldastus* in Notis ad Falicis Febri historiam Svevorum libro I. cap. 8.

Sed alii tamen etiam sunt, quorum non minor est autoritas, qui longè mitius de hoc germanorum invento judicandum esse existimant.

Philippus Camerarius, propter *Bambardarum*, *Horologiorum*, & *Typorum* inventionem, in gentis germanicæ laudem, ad invidiam usq; effusus est. Videantur *Hor. succis.* cent. 2. cap. 28.

Henricus Salmuth, in commentario ad *Pancirollum* p. 287. postquam multa in laudem bombardarum dixit, histandem verbis concludit: *Valde verisimile est, fuisse Deum singulari quodam judicio tam perniciosum tormentum recenter reperiri, ut mutuo terrore affecti mortales, nec viribus ita confidentes, facilius alerent concordiam, & bella detestarentur, incerti & mortiferi ictus timentes aleam: tantum abest, ut virorum virtus hac atate perierit.*

Michael Majerus, superius à nobis collaudatus, postquam *Bombardam* ingeniosâ comparatione, cum *Pandora* à *Jove* mortalibus dono data, contulisset, in hæc tandem verba definit: *Iratus num Deus, humano generi contulerit pulveris nitrati munus, an pacatus? ambigere licet.*

Sed ante omnes audiendus est *Huldericus Mutius*, Autor *Chronici Germanorum*, quod inter *Scriptores* à *Pistorio* collectos, agmen claudit. Leguntur autem p. 289. sequentia: *Hoc tempore Bombardæ à Germanis sunt inventæ, brevique post etiam ars illa libros stanneis typis imprimendi, - - Duobus à Germanis inventis illis quantum debeat hominum genus, pauci vident, nec à quoquam, quod sciam, satis pradicatum est, cum nihil sit tam fere parvum, quod non invenerit aliquem, qui celebravit. - - Necessarius bombardarum usus est hoc postremo tempore, qui videtur omnibus primâ specie miseris mortalibus perniciosissimus: Sed non reverâ ita habet: nam propter avaritiam & malitiam, extinctamq; caritatem, in fine mundi malorum turba legibus coerceri non potuisset, nemo posset tuto iter facere, vel militare: Inceperant enim paulò ante bombardarum inventionem, facinorosorum hominum catus magnæ factiones per
fedi-*

seditionem multis locis bonorum labores diripere & perdere, & quis potuisset illas pradonum & latronum arces ex montibus dejicere, quæ nostrâ memoriâ sunt ope bombardarum dejectæ? Quare nostrum plurimi damnamus inventorem & inventum bombardarum, qui forte non viveremus, nec patres nostri vixissent? Certe hic status rerum non esset; tam potentes & opulenta urbes non essent; neque enim mercaturam exercere potuissent Negotiatores, qui præcipua pars sunt civitatum potentum & magnarum: Quare Dei dona desinat contemnerere, nisi quis diductum os canis & dentes ad mordendum factos, damnandos putat, nisi quis cornua in bove non bonum creatoris opus existimat.

Habes hic, *Lector Benevole*, utriusque partis argumenta, suis autoritatibus subnixâ. Sive hanc, sive illam sententiam amplexus fueris, tuo Te judicio facile abundare patiar. Si meum consilium requiris, ego, ne quid dissimulem, nomen meum libenter inter illos profiterer, qui pulveris Sulphurei bombardarumque; inventionem in laudibus Germanorum ponunt: adductus imprimis argumento evidentissimo, quod crebra historiarum lectio mihi jam dudum suppeditavit, & quod ab aliis prætermisum esse, sæpe miratus sum. Si enim novum hoc tormenti genus, de quo impræsentiarum nobis sermo est, generi humano tam perniciosum est, quælo! fit, ut nostro hoc ævo, in præliis etiam decretoriis, cum pugnantissimæ nationes totis viribus inter se concurrunt, vix decem, aut ad summum viginti hominum millia prosternantur; cum tamen præcis temporibus, ubi bombardarum nullus erat usus, pulveris tormentarii nulla copia, in campis Catalaunicis a. 451. centum & octuaginta Hunnorum millia; ad Ligerim autem a. 726. trecenta & septuaginta Maurorum millia; uno prælio cecidisse, apud Autores fide dignissimos, legantur?

Sed quicquid hujus sit, quo minus in sententiam mitior em discadam, obstare mihi videtur loci, quem Deus inhabitandum mihi concessit, quædam quasi religio: Ex quo enim historiarum monumentis certior factus sum, quantam felicitatis suæ jacturam, per incendium ex pulvere nitrato ortum, ante trecentos, & quod excurrit annos, Martisburgum fecerit: hoc à me impetrare haud potui, ut quicquam, quod ad laudem bombardarum faciat, vel dicerem, vel saltem cogita-

40
1868
OK

gitarum. Quin potius, ut infausti hujus inventi infamia ad omnem posteritatem propagetur, MEMORIAM ISTIUS INCENDII, cras, Deo volente, hoc est, eo ipso die, quo an. 1387. primam pulveris sulphurei rabiem experti sunt Martisburgenses, in publico Gymnasio nostri auditorio, more in scholis usitato, recolare in animum induxi meum.

Hunc in finem autor fui *quinque Gymnasi nostri Alumnis*, in spem non mediocrem natis, ut crastinâ luce, sacris publicis rite peractis, ubi *hora quarta* audita fuerit, in palæstram prodeant oratoriam, totidemq; oratiunculis stylo vernaculo conceptis, atque ex promptâ memoriâ recitatis, efficiant, ut *borule* spatium quod superiorum permisso ad dicendum illis concessum est, non malè consumptum videatur.

Et Prologi quidem vices sustinebit JOHANNES CHRISTOPHORUS EICHELHANN; Incendii Historiam breviter recenserebit JOHANNES CHRISTIANUS KUPFER; causas tantæ calamitatis rimabitur JOHANNES CAROLUS REGIS; sui quemque officii admonebit JOHANNES GODOFREDUS ERDMANN; Epilogum tandem subnectet JOHANNES GOTTLOB DIETRICH.

Adeste igitur reipublicæ Martisburgensis PROCERES SUSPICIENDI! Adeste Gymnæsii nostri INSPECTORES VENERANDI! Adeste juventutis scholasticæ MAECENATES SPECTABILES! adeste denique bonarum artium FAUTORES atque PROMOTORES HONORANDI! Adeste, quæso! meisque precibus adducti novellis istis Oratoribus, in argumento sane pio versaturis, auribus animisque favete! Scribebam in Gymnasio Martisburgico Dominica IV, post, Trinit. anno post incarnationem M DCC IX,



X 3047654 VDA8

h. 113, 32.
159

MI
INC

ANNO

QVI DIVO JO
SAC
TOTUM C
MARTIS

JOH

FINITIS SACR
post ho

Primo Gyn
pie

VENERANDOS
TUTIS INSPEC
TES ATQ

offic
M. JOH. 

Typis CHRISTIANI



Yd
1868

a 48

LIOTHECA
KAVIANA

ATS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)
UN

21.

